

Heinricum imperatorem; extitit Lotharius eciam tempore Alberti. *Hic fundator extitit Ebirbacensis claustrum. Anno Domini 1131, 5. Idus Februarii, fundata abbacia in Ebirbach ab Alberto seniore episcopo, sexto anno Lotharii regis.* Septimo anno episcopatus sui, id est anno 1117, decimo anno Heinrici imperatoris quinti¹ in octava Iohannis ewangeliste terremotus bis inter diem et noctem tam terribilis per totum orbem terrarum factus est, ut multa edificia corruerent² et homines vix effugerent, sed maxime in Ytalia, ubi per diversa loca civitates, castella, ville cum hominibus subito yatu terre deperierunt. Nam et montes scissi sunt et flumina terra degluciente exsiccata sunt. His tam mirandis tamque³ tremendis signis circumquaque divulgatis, tribusque diebus⁴ in ieiuniis et oracionibus per totam Italiam ab omnibus peractis, quidam infantulus apud Cremonam civitatem in cunis iacens contra naturam in vocem erupit⁵, matremque suam fratri suo escas parantem⁶ a corporeis curis comescuit, asserens sanctam Dei genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem et instantissimis precibus pro iudicio quod mundo propter peccata sua intenderat Christo supplicantem⁷. Post hec deposuit eloquium usque ad congrua tempora. Eodem anno multa perpetrata sunt mala, coniurationes iniuste, incendia⁸, homicidia, concremaciones ecclesiarum et claustrorum⁹ et direpta sunt bona Deo inibi servientium. Eodem anno eclipsis lune bis facta est et mirabile signum in celo apparuit variis coloribus mixtum. Obiit anno 1137¹⁰.

Albertus iunior¹¹.

Albertus archiepiscopus iunior annos 4 primo anno Conradi regis. Obiit 1141, 12. Kal. Augusti¹².

Marckolffus.

Marcolffus archiepiscopus anno uno, quinto anno Conradi regis. Hic dedit monasterio Ebirbacensi¹³ curiam Treyse. Obiit 1142, 18. Iulii¹⁴.

Heinricus.

Heinricus archiepiscopus 6. anno Conradi regis usque in tercium annum Frederici imperatoris, id est annis 15¹⁵. Hic machinacione Frederici imperatoris et Arnoldi maioris prepositi, qui post eum episcopus factus est, per quendam cardinalem de episcopatu¹⁶ iniuste deponitur. Cardinalis et imperator et episcopus Arnoldus et quicunque in deposicione eius conspiraverant, mala morte mortui sunt, imperator in parva aqua soffocatur, Arnoldus occiditur, cardinalis in cloacam effudit viscera sua, et in ipsa mortuus invenitur. Iste

1) Von hier ab aus Ann. S. Dis. a. 1117, aber abgekürzt. 2) 'cernerent' Hs. Cod. Eb. richtig 'corruerent'. 3) 'mirandis tamquam' Hs. 4) 'tribus in' Hs. Cod. Eb. richtig. 5) Cod. Eb. 'prorupit'. Ann. Dis. 'os aperuit'. 6) 'paranti' Hs. und auch cod. Eb. 7) Ich ergänze keinen Infinitiv wie 'apparuisse', sondern lasse den Accusativ 'stantem' von 'asserens' abhängen. 8) 'incedia' Hs. 9) 'claustrarum' Hs. 10) Im cod. Eb. folgt noch ein längerer Abschnitt. 11) Von hier an stehen die Namen der Bischöfe zuerst am Rand. 12) Die Jahreszahl etc. erst später von derselben Hand zugesetzt. Im cod. Eb. fehlt die Tagesangabe. 13) 'monasterium Ebirbacensem' Hs. 14) Datum später zugesetzt. 15) Hier folgt noch die Zahl LXI. 16) 'nacione', wohl aus voriger Zeile (machinacione) irrthümlich abgeschrieben, ist wieder ausgestrichen.